tere priorem Dominum, nisi ex aliis Circumstantiis constet, signa non fuisse addita ad retinendum Dominium. Cui & subscribit *HEDINGERUS Sicilim, ad Grot. h. l.* contendens nequaquam occupanti posse cedere feram insigni quodam prioris Domini Jus palam ostentantem. Ideo placet *GUID. VAN DER MUELEN. l. i.* qui animum retinendi Domini expressisse videri vult Dominum per signum notamque animalis impostam, qua demonstratur, etiamsi custodiam evadendo fera possessione nostra exciderit, non tamen juri suo renunciasse aut abjecisse Domini retinendi animum priorem possessorem, nec proinde competere alicui facultatem hujusmodi animal tanquam nullius in Dominio existens, per occupationem sibi acquirendi, conf. *TESMARUS ad Grot. h. l.*

§. XI. Verum licet hæc vulgo tradantur, & à DD. dissentientibus tantum non omnibus nostræ sententiæ obijciantur, nescio tamen an exinde multum sententiæ suæ robur petere possit. *d. piéjus.* Quod ut evincam non opus est, ut prolixè inquiram, an Enorisimata feris appensa satis sint perspicuum Voluntatis de Dominio retinendo indicium, cum aliâ quoque de causâ iis injici potuerint, ut puta si iis distinguantur ab aliis &c. de quo *Kulpis. Pufend. Virriar. l. cc.* consulti poterunt, sed largiar facile non improbabile inde deduci conjecturam, Dominum, si solo animi voto sibi retinere queat Dominium, non omnem spem recuperandæ feræ deposuisse, quam quondam se in potestate habuisse, evidentissimo demonstrare potest argumento; Attamen ne sic quidem obtinuisse dissentientes id credo, quod hoc modo probare intendunt. Scilicet si vel maxime ex Crepandis mihi constet de pristino Domino, deque ejus animo retinendi sim certissimus, nondum tamen inde ad eam restituendam me obligatum existimem. Neque enim id Grotio simpliciter concedi potest, sine voluntate meâ rem non posse à me recedere, cum plurimi amittendi Domini existant modi, in quibus Domini consensus plane non desideratur. Uti nec *Ill. Pufendorfi* Requisita in omni acquisitione derivativâ necessaria esse judicaverim, cum & interdum sine possessionis amissione solus animus domini deserendi sufficere possit, & nonnunquam sola Possessionis Derelictio sufficiat; licet animus rem retinendi supersit. Quis enim neget me ita rem

posse in alium transferre ut statim Dominium ad eum transeat, licet ipse adhuc meo aut alterius Nomine possideam; certe Traditionem ad transferendum Dominium naturaliter haud desiderari ipse defendit GROT. L. II. c. 6. §. 7. ibique BOECLERUS p. 205. ZIEGL. p. 293. PUFEND. L. IV. c. 9. §. 4. HUB. L. IV. Dig. c. 8. FROMMANN. Diss. de Tradit. §. 63. licet dissentiant post alios KESTN. l. V. c. 20. TEXTOR. C. IIX. §. 48. & KUEPIS Exerc. V. lib. 1. h. ut adeo sine possessione mutari queat Dominium, si de ea Partium Voluntate constet. Pari ratione interdum sola sufficiet Rei amissio, licet quis inani ac stulto desiderio retineri eam velit. Quod non tantum Jur. Civ. effici potest quoties vi Legis in poenam delicti commissi aut aliam justam ob causam privatis eripitur, sed naturaliter quoque contingit, quoties res quam possidere desimus, aut plane nobis ignorantibus sublata, aut ejus est Natura, ut possessione amissa cuivis eam apprehendendi Jus competat, aut alia ratione Dominium ejus non conservari nisi perpetua ac diligentia custodia queat. Hoc autem in feris ita obtinere, infra a nobis prolixius demonstrabitur, conf. Ill. Dn. COCCEJ. Diss. de eo quod facti est. s. V. Th. 16. seqq.

§. XII. Atque ex his satisfieri quoque potest iis, qui ulterius urgent de Remediis recuperanda possessionis deque deficiente feras inter aliasque Res differentia. Dicit *ὁ πρῶτος*: in rebus aliis a possessione quod incipit Dominium non ita amissa Possessione amittitur, imo jus datur etiam ad repetendam possessionem. Idem cum ipso graviter urgent ejus, qui ipsum sequuntur Commentatores & occasione hujus §. ostendere satagunt ad possessionem recuperandam Domino vi Domini Jus competere, vid. PUFEND. L. IV. c. 6. §. 12. TESMAR. ad Grot. h. l. Cujus argumenti licet eo multum se ad Grotii sententiam probandam conferre existiment, omnis vis ac robur concidit, si ab eo, quod plerumque fit, male universalem conclusionem eos fecisse respondeas. Licet enim hae regulariter ita se habere utraque manu concedam, diversitas tamen objecti diversum Jus expetit, ut precedenti §. XI. fuit monitum. Imo in modis acquirendi Domini originariis aliud obtinere monet FROMMANN. Diss. de Reb. Perd. lib. 13. Quod igitur in aliis quibusdam rebus contingit, id ad feras multis licet Verbis cum Grotio ma-

lè tamen referunt ejus, asseclæ, cum plurima sint, res alias inter & feras differentia, quas vix est ut credam non vidisse Virum summum & qui ejus secuti sunt vestigia, cum tanta sit earum copia ut à dispari profusè argumentari videatur, qui ab aliis rebus ad animalia, fera ducere velit ratiocinium. Sed integros sibi illa infra vindicabunt §§. ubi ex ferarum natura modus & acquirendi & conservandi & amittendi earum Domini fufus explicabitur, ac inde Juris nostri potissimam Rationem petendam esse moncebitur. Vid. inter ZIEGL. ad Grot. h. p. 316. seq. HARPR. & VINN. ad §. XII. Id. R. D.

§. XIII. Denique ut ostendant Jus nostrum, dum ferarum Dominium cum ipsâ Possessione amitti tradit, non minus a propriis Principiis, quàm ob æquitate, recedere varia Exempla colligunt, in quibus eandem Rationem, diversam Juris nostri & æquam magis Dispositionem se putant deprehendere, imò ex LL. verbis id ipsum quod contra LL. defendunt probare nituntur. Obijciunt itaque nobis servum fugitivum, qui licet sui furtum fecerit, & fuga se nostrâ potestati subduxerit, dominio tamen nos exuere seque in libertatem vindicare nequit, ut adeo parum quoad retinendum amissâ Possessione Dominium, interfit Res nostra nobis, auferatur an ipsa se eripiat Grot. l. c. Unde concludunt eandem ferarum esse rationem, si & ista se ad instar Servi fugitivi custodia nostrâ eripiant, adeoque idem utrinque jus esse statuendum. Provo- cant præterea ad L. n. ff. d. R. F. quâ id quod nostrum est sine facto nostro ad alium transire negatur, unde clarissimè ostendi pu- tant, ferarum dominium nos non amittere nisi aut factum nostrum intercesserit, aut de animo rem derelinquendi constet. Cum que in L. 47. ff. d. A. R. D. à lupo ereptum Domini manere et- iam si possessionem amiserit dicatur; PUFEND. d. F. N. & G. l. IV. c. 6. §. 12. satis jam manifestum credunt amissâ Possessione si jus e- jus recuperandi & animus retinendi adsit Domini Domini jura superesse. Præcipuè verò verba finalia §. XII. Id. R. D. §. 15. ff. d. A. R. D. quæ indicant feram naturalem libertatem non ante con- fecutam videri, quam vel oculos nostros evaserit vel ita sit in con- spectu nostro ut difficilis sit ejus Persecutio tanquam argumentum sue sententiæ firmissimum, eos adducere videas. Ex quo factum ut

ut ipse III. Dn. *KULPIS*. causam hic habere Grotium existimet, cur rationem amissionis in animo derelinquendi collocaverit, cum eandem LL. quoque nostræ respiciant, quæ ab eo, quod plerumque feræ ex custodia elapsa contingere soleat, generalem fecerint constitutionem, vicujus Dominus de Jure suo desperasse & sic dominium amisisse videatur.

§. XIV. Sed salva res est, facilique negotio occurri potest dubiis, quæ magno quidem numero sed non pari robore afferuntur. Ecquis enim non videt, quæ de Servo fugitivo traduntur malè ad feras applicari in sylvis vagantes, quarum natura non minus à servo, qui ipsum se nobis eripit, quam a rebus quæ ab aliis nobis auferuntur, quam plurimum distat. Illud quoque satis nobis non apparet utrum quæ de servo fugitivo tradit Grotius ex naturali ratione ita se habere putet, an secundum Juris nostri dispositionem; si hanc respexit diversissimam eam esse ab iis LL. fateor, quæ de ferarum natura disponunt. Sed differentiam juris objecti desideravit diversitas. Eadem ratione ne possessione quidem nostrâ excidisse feram dicere liceret, si illico ad eam referri posset, quicquid de servo Jure Civ. est constitutum; quem fugitivum licet possidere nihil prohibet, *l. 13. pr. ff. d. Acq. l. amitt. Poss. l. 1. C. d. Serv. fugit.* Si verò ad naturalem hic rationem respexit Grotius, facile deprehendere poterat, non eandem esse feræ & Servi conditionem, hæc in nostram potestatem violenta occupatione redigitur, secus in servo est, qui, si semel dominio nostro se subjicit, non potest postea in Præjudicium nostrum voluntatem suam mutare, *l. 5. C. d. O & A. HUBER. Digr. l. IV. c. 17. p. m. 370. id ad J. Tit. d. R. D. pos. 22.* Quod si bellica vi in Servitutum quis invitus redigatur, si libertas ei violenter eripiatur, secundum Grotii quoque Philosophiam facultatem habebit in libertatem se vindicandi simul ac commodam evadendi nactus est occasionem. *GROT. l. III. c. 7. §. 6. Legi II. ff. d. R. J.* satisfecit *HARPR. in Not. ad §. 12. Id. R. D.* qui bene monet in feris ob naturalem libertatem à Dominio nostro abeuntibus satis nostrum interessisse factum videri, eò quod custodiam neglexisse credamur. Eam enim perpetuam esse Ictorum de facto intercedente loquentium consuetudinem, ut sub facto etiam omisum sive non factum comprehendant, *l. 189. ff. d. V. S. l. 121. ff. d. R. J. l. 19. ff. d. Rit. Nupt. l. 4. ff. Quæ in fraud. Creditor.* Quod ipse

ipse agnovit *GROTIUS l. II. c. 8. §. 10. n. 2.* cujus tamen de Conjecturâ voluntatis limitatione dictâ Lex vix opus habere videtur, cum invitum amittere Dominium nihil prohibeat. Porro *L. 44. ff. d. A. R. D. de ovibus* agit à lupo abreptis quas nemo ferarum vocabulo facile comprehendet, ut adeo frustra hinc suæ sententiæ præsidium expectent. Dissidentes. Ostendit interim *HUB. Digr. l. c.* ex eadem lege evinci ad retinendum Dominium animum ac spem amissæ rei recuperandæ non semper esse necessariam. vid. supra §. XI. Gravius obstat §. XII. *J. d. R. D. j. l. 5. ff. d. A. R. D.* sed si naturaliter remotâ Lege rem ipsam consideremus, fera simulac elabitur nostra esse desinit, saltem dum adhuc in conspectu est, dum non difficilis ejus persecutio, facile dominium recuperari & novâ occupatione fera nobis acquiri potest. Quò respexit §. XII. ideoque negavit jam naturalem libertatem plene conquistam esse feram, quæ desinit quidem esse in Dominio, sed ita tamen ut statim in id redigeretur. Unde recte *III. COCCEJ. laud. Diff. Sect. V. §. 17.* hujusmodi feram si recuperetur novâ occupatione nostrâ fieri statuit.

§. XV. Rectè itaque dixisse arbitror *FROMMANN. l. c. th. 13.* supposita esse, quæ Grotius attulit, nec argumenta ejus probare, quod se evicisse putavit. Nam ut taceam institutas diversarum rerum comparationes probandi virtute destitui, facili operâ elidi potest apprens tantum LL. nostrarum inter se pugna & singuli textus ita commode explicari, ut nulla contrarietatis remaneat species. Quæ verò de Locorum observantiâ addit, quòd scil. Crepundiis insignitè accipitres aut cervi inde agniti suisque Dominis restituti fuerint, id ibi demum locum invenire arbitror, ubi speciali eâ de re jure dispositum est, non verò, quod nec ipsum asserere credo, commune & ubi vis receptum Jus constituere, aut ex singulari benevolentia ejus, qui feras, quas occupavit, ei reddere mavult, qui olim eas possedit, quam ipse retinere. Æquitatem interim non lædit, qui Jure suo hoc casu utitur, & feram, quam in potestatem suam redegit, ex naturali, in quâ eam deprehendit, libertate non ex Gnorismate æstimat nec ad id restituendum se putat obligari, quod desit esse alterius.

§. XVI. Superest, ut postquam argumentis eorum satisfecimus, qui LL. nostrarum circa feram ex custodia dilapsam æquitatem in dubium vocarunt, ex genuinis Juris nostri rationibus probemus,

C

non

non merè civile esse, sed naturale, quod Imperator §. XII. 7. d. R. D. eà de re constituit, adeoque feras, quæ in libertatem se iterum vindicarunt nostras esse desinere, & à quovis occupari posse, licet civili Lege nihil quicquam eà de re esset cautum. Quod ut ostendamus non opus est, ut ad fictionem Possliminii, quam nonnulli hic locum habere existimant, recurramus, vid. FRANZK. ad §. XII. 7. d. R. D. JOH. AND. VAN DER MUELEN Jur. Pol. P. II. Q. 25. cum fictio ista possliminii ad feras tantummodo hominum intuitu adhibeatur, ad quos illæ ita redire dicuntur. Insolens autem est possliminio, quod modus recuperandi Domini est, exprimere amissionem rei, quæ nullius est facta. Sed nec ex voluntate Cervi aut alius animantis Dominium, quod homini in ea competit metiemur. Quamvis HUBERUS l. c. eo imprimis respicere videatur. Cui licet concederemus Jctos Romanos analogum quiddam rationis in feris agnovisse l. 2. §. 3. ff. si quadrup. Rump. sec. in libertate tamen recuperandâ quam dum se vinculis nostris eripiunt, consequuntur, eorum animo, aliquid, si de genuino ac naturali ejus Principio quaras, tribuere nolim. Nec puto ex istâ Brutorum voluntate æquitatem juris nostri satis posse deduci, cum ea hominis Dominium non tollat, quod in invitas quoque feras ac repugnantes humano Generi competit. Imo cum ne mancipia quidem in libertatem se vindicare queant, frustra Libertas voluntatis aut si majoris qualescunque libertatis simulacrum in feris ad amittendum Dominium sufficiet. Equidem in feris mansu factis si revertendi animus desit, ipse Imperator dominium expirare ait §. XV. 7. d. R. D. non tamen crediderim animum, qui feræ inest pro causâ domini amittendi hic venditari, sed potius id tantum ostendi hujusmodi animalia, si feram naturam iterum induant, etiam earum Jure esse censenda. Id autem cognosci posse exinde si non revertantur.

§. XVII. Linquo igitur aliis Possliminii fictiones, deducant qui volunt ex ferarum voluntate præsumta causam amittendi Domini, mihi ea aliunde petenda videtur. Non dubitaverim tamen æquitatem Juris nostri ex diversâ ferarum ab aliis rebus naturâ derivare, licet ipsarum studium in libertatem se vindicandi genuinam causam esse diffitear, nam cum alio modo & acquirantur & retineantur, non mirum est, dispari quoque ratione earum Dominium amitti.

amitti. Feras scilicet cum capere (ubi Lege Civili libertas non circumscripta est) cuique liceat, non ut res inanimatas consequimur, non ut mansuetam animalia nostra facimus, sed multo labore, multis insidiis in nostram redigimus Potestatem. Non vidiſſe feram, non excitasse, non vulnerasse sufficit, sed quamdiu libertas vagandi ipsi superest, a quovis occupari potest. Acquiruntur itaque ferae per amissionem Libertatis dum vagandi ipsis, quo fert impetus, licentia eripitur. Quid verò magis naturale esse potest, quam, quicquid eodem modo dissolvi, quo colligatum est, *L. 35. ff. d. R. 7.* Cum itaque libertatem amittendo in hominum concedant potestatem, ea iterum expirabit simulac pristino statui redditur, v. *RYSSEL. d. Jur. Nat. c. XIV. §. 32. conf. Dn. THOMAS. Jurispr. Div. l. II. c. 10. §. 15.* Bene igitur ZIEGL. ad Grot. b. l. *feras per amissionem libertatis nostras fieri; eam verò recuperando, Dominio nostro se subducere dicit.* Eandem rationem aequitatem Juris nostri defendendi adhibuit FROMMAN. qui d. *Diff. th. 12. concedit quidem, dari res quarum Dominio quis gaudere queat, licet possessionem amiserit, at hujus naturae ferae esse negat, sive semper tales, sive manufactas consideres, si fugata fuerint aut deposita consuetudine revertendi in pristinam Libertatem se receperint, §. XII. 7. d. R. D. l. 3. §. 2. l. 5. l. 55. ff. d. A. R. D. FRANZK. ad §. XII. & XV. 7. d. R. D. 7. STRIV. Ev. Controp. Ex. 4. d. §. 8. & OSIAND. b. l.* Sed excipit HENNIGES ad. d. §. 3. non id quæri, an ferae per recuperationem libertatis desinant nostra esse, sed de eo tantum dubitari, an solo evasionis actu etiam invito Domino naturaliter libertatem recuperent. Sed accipit hic Vir celeberrimus Vocabulum libertatis alio sensu, quam Zieglerus id usurpaverat, ipsi enim significat prioris Domini interitum Ziegl. autem per libertatem hic statum expressit, quem *L. 35. ff. d. A. R. D.* laxitatem appellat. In hac Conditione dum desinit esse, dominio nostro fera subicitur; ex quo quando recedit priorem statum recipit. Quod contingit simulac sese custodia nostra eripit, vincula rumpit, receptacula deserit. Neque enim Pufendorfium hic audiendum putamus, qui existimat non liberam videri feram quamdiu ipsam Dominus persequatur; cujus Instantiam, quam a delinquente carceri elapso desumit, qui liber dici nequeat quamdiu ipsum licitor persequatur, nobis parum probare ejus mentem vide-

tur, cum nihil impediat afferere, & hunc jam liberum esse, licet facile in captivitate redigi queat. *Dom. sig. 203. ff. d. R. I.*
De sig. XI. X. Fera igitur ut singulari prorsus ratione occupantur, ita earum Dominium ut retineatur, singulari opus est custodia. Nam alia quidem res licet eas nobis petere, ac dolo alieno eripi possint, ipsas tamen se non eripiunt. In ferarum vero Dominio maximam semper curam adhibebit, qui illud saluum sibi cupit. Idque fera ferarum natura exigit, quemadmodum enim in Sylvis ob ferocitatem naturalem perpetuo vagantur, naturali libertati affluata, ita summam curam exposcere videntur, si, qui eas semel cepit, earum dominium retinere desideret. Nam semper revertantur, vivario incluse ad pristinam laxitatem aspirant, quavis data occasione se in eam vindicaturæ. Sibi igitur ipsi tribuat, qui custodia sufficiente non adhibita fera amittit possessionem, cum non ignoraverit, alia ratione teneri eas non posse, nisi eadem violentiâ, quâ capiuntur. Egregie sanè *ZIGL. l. c. Dominum ait.* gnarum esse debere, tamdiu durare ipsius dominium, quamdiu ferarum custodiat. Quod si intermiserit curam, feraque elapsa sit, dominium desinere & feram iterum fieri occupantis, conf. *SI-MON. DE NATAEL. & HOTTOMAN. ad §. XII. j. d. R. D.* Unde *FROM-MAN. l. c. recte ait.* Quarum bestiarum fera natura est, ita ut animam in libertate naturali manendi semper retineant, nunquam deponant, nec ex ipse sua natura Qualitate non possunt in Dominium redigi, nisi per illam Possessionis apprehensionem, qua simul custodia eas coercet, nec retineri nisi possessionis retentione. Et Coercitionis continuatione §. XII. j. d. R. D. Qui itaque huiusmodi animantes non eâ, quam ipsarum feritas exigit, diligentia custodit, non immerito negligentia sua luit penam, sedam amittit Dominium, damnum quod sua culpa sentis sentire non videtur, *l. 203. ff. d. R. I. Conf. OSLAND. ad Groi. v. HARPR. & VANN. ad §. XI. j. d. R. D.*

§. IX. Denique non videtur Dominus libertatem aliorum ferarum occupandi, per Gnomimata posse circumferbere. Scil. est æquale in feras jus omnium, quamdiu ibi deprehendantur, ubi cuilibet eas insectandi facultas concessa est. Qui igitur capit feram, ille non eam tantum naturali statui sed reliquis quoque ejus possessionem acquirendi facultatem eripit, quæ tamdiu singulis competit. aqua

tum omnino factum ipse videbitur. Nescio autem an perinde cum *PULFEND.* l. c. in iustitia accufandus sit Piscator apud *PLINIUM* *Hist. Nat. l. 9. c. 39.* quod piscem Anthiam reliquos in infidias deducere solitum intereceperit. Quamvis enim Plinius eum poenam dedisse referat, id tamen factum est, non quod piscem ceperit, verum quod mala fide sciens id socio damno futurum illud egerit.

S. XX. Sed & excusandum crederem Iulum apud *VIRGILIUM* *En. VII. vers. 483.* licet Cervus, quem spiculo transiit signo quodam conspicuus fuerit. Etsi enim manifestum illi fuisse Virgilius referat, qui ita eum nobis descripsit.

*Assuetum imperiis favor omni Sylva cura
Mollibus intexens ornabat Cornua feris,
Ille manum patiens mensaq; assuetus herili
Errabat sylvis rursusq; ad limina nota
Ipse Domum fera quamvis se nocte ferebat.*

Sufficiebat tamen Aescanio cervum manifestum esse ignorantem, eum ut alias feras in sylva vagantem deprehendere. Neque est quod *PULFEND.* Tyrrenos exinde iustam tumultus habuisse causam existimet, l. c. si vel maxime Gnorisma quoddam secum circumtulisset; id enim non prohibere poterat, quominus ab aliis occuparetur, nec satis ostendebat feram mutasse animum & manifestam esse, quae ut alio cervi sylvam pererrabat. Sin vero id aliunde Aescanio constitit, improbe quidem egit, sed non ob Gnorismata, verum ob dolum quem adhibuerat; uti nec excusari potest eius factum, si temere in alieno fundo venationem suscepit, eum an ea facultas circumscripta sit, imprimis debuerit cogitare. Interim Cervi huius occupatio quemadmodum nec probabilem armorum ansam praebere poterat, recte monente *MACROB.* *Saturn. l. V. c. 7.* ita iusta belli causa nequaquam fuisse videtur.

S. XXI. Sed quorsum attinet inquirere, an ferae, quae Jure Romano rebus nullius accensebantur, si potestatem nostram effugerint, a quovis queant occupari cum hodie amplius pro talibus non habeantur, sed Reipubl. competere in eas Dominium plerique assentant? Quid ergo juvat sollicitè tractasse id, quod receptum, amplius non est, quodque ut abrogatum nullum polliceretur usum? At non

ad eò

ad eò suo fructu, desinitur præsens labor ut tempus fecerit videamur. Equidem *TEXTOR. Syn. Jur. Gent. c. 8. §. 18. seqq.* cum *COVARR. in Resol. c. Peccatum P. II. §. 8. n. 2.* affirmare nititur feras eodem pariter ac olim modo nullius esse, & Legem prohibitivam non acquisitionem prohibere, sed actum venandi, unde sequatur, quod ut olim, qui eas caput suas faciat, licet ideo, Domino territorii ingressum prohibente puniri queat. Quorum si accederemus opinioni dubitari non possit, quin eadem adhuc quæ olim fuit Quæstionis sit utilitas. At quo minus cum ipsis faciamus, efficiunt hodiernæ plurimorum Principum Constitutiones, quæ cum Privatis ipsa interdicit venatione, feras indirectè non amplius ut nullius, sed ut in patrimonio Principis aut Reipubl. constitutas considerare jubent. Benè *PUFEND. Elem. Jurisprud. Univ. l. i. Def. 5. p. m. 63.* feras ait ex mente veterum Jurisconsultorum Romanorum nullius fuisse, hodiè vero de iis aliisque rebus plurimas gentes aliter statuisse, quem sequitur *THOMAS. Jurisprud. Div. l. II. c. 19. §. 150.*

§. XXII. Manet nihilominus proposito Thematì suus usus, ac proinde erepundia ne hodiè quidem efficiant ut Dominus ferarum iisdem insignitam reddere teneatur, si in sylvam, ubi ipse solus habet Jus venandi, se receperit. Idem obtinebit, si, qui Cervum aut aliam feram quacunque ratione sibi comparavit, eamque non satis custodiat, sed elabi patiatur; Frustrà enim ab iis, qui postquam in naturalem libertatem se receperunt, eum jure occupant, cervum reperet. Imò Dominium ferarum solà possessionis amissione hodiè expirare inde patet, quòd quæ Principis est, in cuius sylvà degit, simulac Territorium ejus reliquerit, ab alio apprehendi queat, *vid. THOMAS. Jurisprud. Div. l. c.* Cæterum hæc omnia, quæ hactenus à de jure circa feras allata sunt, Principum arbitrio LL. & pactis mutari posse facile largimur, cum hoc non naturaliter necessarium, sed rationi tantum maxime consentaneum existimemus.

§. XXIII. Hæc sunt LL. B. quæ pro LL. Romanarum equitate & cum ratione naturali consensu proponere in præsentiarum licuit. Tu quæcunque fuerint equi bonique consulo nostris que conatibus fave. Eterno autem omnis justitiæ & æquitatis fonti LL. Conditori sanctissimo, Deo Triuni tetque O. M. infinitas nobiscum decerne Gratias.

F I N I S.

COROLLARIA.

1. Homagium Invasori Imperii præstitum non est obligatorium.
2. Bellum, quod Grotius pœnale, alii vindicativum nominant, ob populi cujusdam delicta quamvis enormia, nisi quatenus nobis illata est injuria, justè haud suscipitur.
3. Ob sepulturæ denegationem quod geritur bellum, vix licitum esse videtur.
4. Capitale supplicium in eos statui, qui ventionem contra Principis prohibitionem exercent, Juri Naturali haud repugnat.
5. Foedera quibus nihil aliud constituitur quam id ad quod jam antea ipsâ Lege Naturali tenebantur pacifcentes, pudenda esse videntur.



ULB Halle
007 352 425

3



v 218





con
lige
po
cej.
mr
de
ffiu
cun
oda
deb
um
col
um
&
un
on
ibr
s. 2.
un
lic
de
de
rin
m
luc
m
em
eft
ta
m
r



B.I.G.

Farbkarte #13

3

Q. D. B. U.
 DISSERTATIONEM MORALEM *de*
 EO, QUOD *20.*
ÆQVUM
 EST
 CIRCA
FERAS EX CUSTODIA
DILAPSAS,
AD H. GROT. DE J. B. ET P. 2/3
L. II. C. IIX. §. III.
 AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
 ORDINIS
BENEVOLO CONSENSU
AD D. XXVIII. OCTOB.
PRÆSIDE
M. MICH. HENR. GRIBNERO,
 J. U. *Leo,*
 PUBLICÆ ERUDITORUM CENSURÆ
 SUBJICIET
 AUTOR
JOH. GOTTLIEB WELSCH, LIPS.
 H. L. Q. C.

LIPSIAE, Literis IMMANUELIS TITII.

